Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

manibus iubilate deo in voce exultacionis Gloria pri et Collecta
Oremus omnipotens deus: ut qui hodierna die unigenitum tuum redemptorem nostrum ad celos ascendisse credimus: ipsi quoque mente in celestibus habitemus
Lectio actuum apostolorum
Primum quidem sermonem feci de omnibus o theophile: quae cepit iesus facere et docere: usque in diem qua praecipiens apostolis per spiritum sanctum quos elegit assumptus est: quibus et praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno dei Et convescens praecepit eis ab hierosolymis ne discederent: sed expectarent promissionem patris quam audistis inquit per os meum quia iohannes quidem baptizavit aqua: vos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies Igitur qui cum convenerant: interrogabant eum dicentes Domine: si in tempore hoc reddis regnum israel Dixit autem eis Non est vestrum nosse tempora vel momenta: quae pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem supervenientis spiritus sancti in vos et eritis mihi testes in hierusalem: et in omni iudea et samaria: et usque ad ultimum terre Et cum hoc dixisset videntibus illis elevatus est et nubes suscepit eum ab oculis eorum Cumque intuerentur in celum euntem illum: ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis: qui et dixerunt Viri galilei: quid statis aspicientes in celum Hic iesus qui assumptus est a vobis in celum: sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in celum Alleluia
Ascendit deus in iubilacione et dominus in voce tube Alleluia
Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum deum meum et deum vestrum Prosa